

Act. 15.

27

DE VI
LEGVM ET DECRETORVM
IN TERRITORIO ALIENO

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAIE ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

A. D. XXII. MAII AN. CICCCCLXXVIII

H. L. Q. C

DISPV TABIT

CAROLVS GODOFREDVS VVOLF

LIPSIENSIS

LIPSIAE


EX OFFICINA LANGENHEMIA

G. M. Wolf



DE LA
LEGAM ET DECRIPTORIUM
INSTRUMENTO AFRICANO
HISTORIA EDITIONIS LIBRARIAE
SOCIETATIS
JOHN THOMAS SEAGER
LONDINIENSIS
PROSESSESSENCE OF A FRENCH
COLONIAL EXPEDITION
TO THE COAST OF AFRICA
IN 1747
BY
D. P. L. T.
C. V. COLLECTED AND ARRANGED
BY
J. H. D. M. S.
PRINTED FOR THE AUTHOR
AT THE END OF THE
YEAR 1750.

EXCELLENTISSIMO
ET
ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO GOTTHELF
S. R. IMP. LIB. BARONI
A GVTSCHEMIDT
SERENISSIMI DVCIS SAXONVM ELECTORIS
ADMINISTRO REI PVBLICAE GUBERNANDAE
ET COMITI CONSISTORIANO
PATRONO INDVLGENTISSIMO



Quanquam a mediocritate ingenii mei meae que fortunae alienum ac plane temerarium videbatur ad virum interiore legum publicarum intelligentia spectatum, OPTIMI PRINCIPIS amore singulari illustrem et rebus pro re publica gestis immortalem accedere, eiusque perpetuam occupationem interpellare aut morari: tamen labantem animum trepidantem que erigebat et firmabat incredibilis TVA, VIR EXCELLENTISSIME, erga patrem meum TIBI addictissimum indulgentia, qua non poterat non pro pietate et ingenuitate sua laetari et gloriari. Accipe igitur, VIR ILLVSTRISSIME, pro ea, quam optimus quisque et rei publicae amantissimus in TE maxime amplectitur, humanitate tenuem hunc libellum, ipsi quidem eius auctor, qui eum in meam potestatem tradidit, summa TVA doctrina tam que praeclaro acumine visum non satis dignum, sed grati animi ingenui que pectoris fidissimum interpretem, ac patere vel me, blandissimo quodam haereditatis beneficio, TVAE tutelae TVAE que liberalitati commendari. Quid enim ad excitandum qualecunque meum ingenium efficacius, et ad vitae meae futuram securitatem aptius contingere mibi poterit diuino TVO

patrocinio? Dedit enim **TIBI** indulgentissima mater natura tantam in vero videndo celeritatem et vim, ut nihil gloriosius sit, quam **TIBI**, iudici et aestimatori diligentissimo, amore vsu que litterarum aliqua ratione probari. Ornauit **TE** eadem natura summa ad benefaciendum procluitate, ea que mente, ut consilio ac fide multorum animos ad maiora audenda excitare amorem que reipublicae incendere velles. Euexit **TE** ad eum fortunae locum consiliorum Tuorum sanctissimus auctor et largitor Deus, ex quo, quos praesidio **TVO** haud indignos iudicares, auctoritate et dignitate ornare posses. Tali tamque excellenti litterarum morum que iudici, tutori, parenti, quis adeo est ab omni sensu laudis et verae pietatis alienus, ut non cupiat diligentissime commendari? Seruet **TE** spectator laudum **TVARVM** et auctor immortalis Deus in securitatem **SPLENDIDISSIMAE TVAE DOMVS**, unde noua rei publicae decora felicissimis auspiciis surgunt, et in utilitatem vniuersitatis patriae, quae **TE** amat atque amplectitur.

ILLVSTRISSI MI TVI NOMINIS

cultor et cliens deuotus

CAROLVS FRIDERICVS VVOLF

Constitueram de iure principis in alieno territorio *Institutio re-*
agere, quod partim ex conuentionibus gentium,^{titio.}
aut quorundam populorum, qui, ut Germaniae
ciuitates, libertatem cum imperio miscuerunt, legibus
publicis oritur, partim vnuquisque necessitate metitur.
Sed quanquam certis finibus sic satis regi posse videba-
tur ea doctrina, vagi tamen multorum errores, iura pu-
blica magis ad libidinem exigentium, quam ad pacto-
rum normam atque naturae immutabilem legem, longani-
et difficilem in diffisit locis persecutionem desiderabant,
non illam quidem huic temporis, quod exemplis in utram-
que partem abundat, verum nostro breuis libelli in aca-
demicos usus edendi consilio minus conuenientem.
Itaque eam partem argumenti selegimus, quae de
mutua alienarum legum obseruantia solet adiungi, et
a SAMVELE STRYCKIO disp. *de iure principis*
extra territoriorum cap. III. et IV. ab VLRCO HVBERO,
cuius etiam commentatores consulendi sunt, *de iure*
ciuitatis lib. III. sect. IV. cap. I. ac praeter eos a mul-
tis iuris publici et gentium doctoribus, maxime vero
ab iis, qui de iuribus peregrinorum ac de conflictu
legum et statutorum exposuerunt, tractatur. Ex his
quidem vir summus IOH. NICOL. HERTIVS *de col-*
lisione legum sect. IV. quae tota ad eandem rem per-
tinet, ipso que auctoris nomine commendatur, eximie no-
minat quatuor viros ante se in hoc arguento, cum iu-

dicio nec indiligerter versatos, ARGENTRAEVM ad
 consuetudines Britannicas, NICOL, BVRGVNDVM ad
 Confuetud. Flandricas, CHRISPIANVM RODENBVRG.
 de iure, quod oritur ex statutorum vel consuetudinum discre-
 pantium conflictu, disquisitione tractatui de iure contum
 praemissa, et CASP. ZIEGLERVM in *Dicastice*: additis
 tamen PAVELI VOETII tractatu de statutis eorum
 que concursu et HENRICI COCCII eruditissima dis-
 sertatione de fundata in territorio et plurium locorum con-
 currente potestate tit. V. Post illos etiam IOH. LAUR.
 BILDERBECK tractationem non indoctam, vtrius loci
 statuta in diuersorum conflictu potiora sint (*Abhandlung,*
welchen Orts statuta in concursu cum aliis zu attendiren)
nouissimae Statutorum Cellensium editioni praemisit. Sed
 hi fere omnes in vna eadem que republica statutorum
 et consuetudinum conflictum non minus, ac colliden-
 tes diuersarum gentium leges ab oculos habuerunt, vbi
 ideo magno numero argumentorum ad causam no-
 stram instruendam parum idoneo. Nec alia mente in-
 terpretes iuris Romani soliti sunt quaestione nostram,
 in commentariis suis ad cap. VI. D. de euictionibus, const. I.
C. de summa trinitate, leg. II. Cod. quemadmodum testamenta
 operiantur, const. I. C. vbi de criminibus agi oporteat, leg. IX. et
 X. C. de extraordin. criminibus atque alibi passim attingere.
 Quorum plerique sic disputant, vt de regum liberarum que
 ciuitatum controversiis ex Praetoris edicto decernere vel-
 le videantur. Etiamsi vero hodie constat, esse hoc,
 quod quaerimus, inter populos nulli communi impe-
 nio subiectos e ratione iuris gentium decidendum, non
 tamen legum principis in alieno territorio vis iisdem
 omnino fundamentis atque initii constituitur, e quibus
 cetera imperantium iura extra imperii sui limitem ca-
 pessenda

peſſenda exordiuntur. Quin ipsae cauſſae, quae iudi-
cium ex alienis legibus reddere vel cogunt vel ſuadent,
tam variae ſunt tam que multiplies, vt nec vna gene-
rali definitione colligi ac concludi poſſint, nec facile inno-
teſcant, niſi per rerum in foro obuenientium exempla.
Horum aſſeremus non nulla atque vnam maxime ſpe-
ciem contemplabimur, quae de tota re cogitandi differen-
ti que occaſionem dedit, poſtis primo loco principiis,
e quibus petenda ſit eius deciſio. Quemadmodum vero
in fronte libelli coniunxiimus legum et decretorum voca-
bula, ſic neminem male habebit in ipſa traſtatione iudi-
cium et magistratum alterius regionis decreta inſtar ipſa-
rum legum, ad quas ea conformata ſint, et quarum vim
iuiſſu principis habeant, commemorari. Quicquid enim
vel infiſmus iudex conſtituit ac decreuit, cum id iuri pu-
blico ciuitatis ſuae conuenienter fecerit, tanquam volun-
tas principis, qui nec ipſe nec per alium iudicem mino-
ri illo ſuperiore decretum eius mutauit vel aboleuit, me-
rito obſeruatur. Neque hoc praefari omittam, tametí
liberarum gentium inter ſe inuiſem iura reſpeximus, po-
tissimum tamē de mutuis populorum Germanicorum of-
ficiis et obligationibus iure publico Imperii conſirmatis
diſputationem haberi.

I

HUBERVS quidem, vt hoc caput iuriſ gentium *Ex regula iu-
rū publici* explicaret, praemifis fundamenti loco poſitiones tres, qua-
nulla legi ex-
rum prima eft: *leges cuiusque rei publicae tenent obligant que tra territo-*
cundos eidem imperio ſubiectos, nec ultra: ſecunda; *pro ſub-*
*rium latoris
iectis habentur, quicunque in territorio cuiusque ciuitatis reperi-* *Duae poſitio-*
vntur, quam diu illi commorantur, quod ut euidens ſua nes Hubri
ſponte, ſic a Romanis affirmari in l. 7. §. 10. P. de interdi- laudatae.

His et relegatis. Vtramque veram esse nemo negauerit. Cum enim non natura, sed pacto constituantur imperia, ad necessitatem obtemperationis legibus praestandae subiectione opus est: posito autem territorio, in quo sedes ac domicilium imperii collocatum sit, quod populus potestate sua ita munuerit, vt quisquis eius fines ingrediatur, aut maiestati imperantis vltro subesse, aut bellicam vim vltionem que metuere debeat, consequens est, vt aduenae etiam atque hospites per omne tempus commorationis suae imperio regionis contineantur. Nec personae tantum huic iuri summae potestatis subsunt, sed res etiam in territorio omnes, sive ciuis, sive extraneus eas possideat. Licet igitur pro consilio ciuitatis ad securitatem rei publicae procurandam tam hominibus, quam rebus legem prescribere, ciuium et aduenarum negotia ordinare, ius illis aequabiliter dicere, omnes inter eos lites, ne tandem exardescant priuata bella, compescere, iniurias publice vel priuatum factas vlcisci. Quarum legum sententiarum que vim exterus hospitis princeps vel populus nullo iure debilitabit atque infringet, nisi ob manifestam iniuriam publicae auctoritatis abusu sibi forte suis que ciuibus illatam atque ob intolerabilem iuris in suos statuti iniquitatem*).

Nam

*^e) Bene VATTELIVS *Iur. Gentium* Lib. II. Cap. VII. Le prince ne doit donc intervenir dans les causes de ses sujets en pays étranger, et leur accorder sa protection, que dans les cas d'un deni de justice ou d'une iniustice évidente et palpale, ou d'une violation manifeste des règles et des formes, ou enfin d'une distinction odieuse, faite au préjudice de ses sujets ou des étrangers en général. La cour d'Angleterre a établi cette maxime avec beaucoup d'évidence, à l'occasion des vaisseaux Prussiens saisis et déclarés de bonne prise, pendant la dernière guerre. Voyez le rapport fait au Roi de la Grande-Bretagne par le chev. Lec, le Dr. Paul, le chev. Ryder et Mr. Murray.

Nam et exteris gentibus sancta esse debet vniuersitiusque populi in territorio suo potestas, et quicquid intra iustos imperii limites sine fraude et violatione iuris gentium statuitur ac decernitur, pro iure haber. Nec interest, ipse princeps, an constitutus ab eo magistratus et iudex peregrinorum cauſas contra ciues suos vel subditos lege agentium audi- verit ac diremerit, cum, quod hic iusu vel mandato imperantis facit, et princeps ratum habet, tanquam decretum ipsius principis valeat. Haec vero omnia in vulgus nota. Sed forte secunda Huberi regula amplianda videatur. Nam saepe accidit, ut peregrini, qui patria sua nec pedem mouerunt, alterius populi leges vereri debeant: ut puta, cum a ciuibus eius aliquid petunt actores que reorum forum sequuntur. Tum enim et si per procuratorem litigant, legibus tamen in iudicij loco propositis, iudicariis certe, per ipsum procuratorem se eius rei cauſa subiiciunt. Itaque parum abest, ut in hac specie pro subiectis habeantur, qui nec ciuitati nomen dederunt, nec in territorio eius reperintur. Verum facile animaduertitur, in ea cauſa item magis, quam extraneum litigatorem arbitrio iudicis summitti. Quia ratione etiam reges et liberae ciuitates, qui a priuatis aliquid petunt, apud eorum magistratus iure experintur. Nec nouis erat aut insolens Anglorum in proximo cum Gallis bello postulatio, ut, qui contra ius gentium et contra legem regis ac populi Anglicani maritimis excursoribus se laesos existimarent, naues suas apud architalassos, quibus cauſae cognitionem populus demandasset, reposcerent. Miror, id rationibus iuris gentium aduersum videri viro doctissimo, qui eo tempore de obligatione neutralium scriptit. Qui a priuato aliquid petit, priuati iudicem adeat, nec de iniuria populi de vtriusque iure cognituri ante sententiam conqueratur. Hoc igitur

VIII

igitur extra controversiam est, posse principem intra fines imperii sui ius dicere et leges statuere. Sed, quod contraria ratione efficitur, nec aliis argumentis indigeret, vis quoque legum, iisdem contenta limitibus, regionem imperantis ordinarie haud egreditur atque extra territorium ius dici, (quae regula populorum scitis et institutis ad iudices in partibus integri territorii subordinatos sapienter producta, et hoc sensu a PAVLLO Cap. XX. D. de iurisdictione tradita est) impune non paretur. Quisquis princeps vel populus iubendi reddendi que iuris in loco non suo potestatem usurpat, contra ius gentium agit, aut si et ipse et laesus, veluti Germanici populi, communem supra se regem et iudicem habent, ex iuris publici rationibus sit violati territorii reus.

II

*Exceptionum
a regula fun-
damentum.*

*Tertia Hu-
bi positiore re-
prehensa.*

Non igitur, nisi extra ordinem, quamuis frequentissime, accidit, ut leges principis iudicum que decreta vim suam in alieno territorio exserant. Cuius exceptionis a regula fundamentum firmissimum collocaturus H V B E R V S l. l. §. 14. adiecit duabus positionibus, quas laudauimus, tertiam aequem, ut arbitrabatur, indubitatam hisque verbis conceptam: *Summae potestates cuiusque rei publicae indulgent sibi mutuo, ut iura leges que aliarum in aliarum ter- toriis effectum habeant, quatenus sine praejudicio indulgentium fieri potest.* Quo posito omnem rem ad liberam genitum voluntatem facultatem que reduxit, necessitatem alienae legis obseruandae atque ex ea vel decernendi vel id etiam, quod secundum eandem alibi iudicatum sit, execundi omnino sustulit. Quin ipse gloriatur, hoc exemplum eviden- tissimi argumenti esse ad probandum, quod ius gentium re vera dictionum sit a iure naturae, quod ad hanc quaestionem nullo modo

modo referri liceat: castigatus ideo ab HERTIO (l. l. §.
 III.) iuris gentium sagaciiori prudentiori que, quam ut
 sola populorum coniuentia id efficaciter niti aut solis
 exemplis adstrui concessisset. Melioribus et validioribus
 ratiociniis ex prima et secunda sua positione rem deducere
 poterat VLRICVS HVBERVVS. Etenim cum leges
 rei publicae teneant obligent que cunctos eidem imperio
 subiectos, nec vinculum obligationis civilis soluatur in
 eo, qui animo reuertendi in aliud territorium meat, ad-
 uenae tamen siue exteri, vel transeuntes vel negotiorum
 suorum causa ad tempus in ciuitate commorantes, pro sub-
 ditis temporariis, quo nomine eos appellauit GROTIUS
 I. B. P. lib. II. cap. 2. §. 5. et cap. II. §. 5. habeantur: con-
 sequens est, ut vniuersiusque ciuitatis princeps nec suis in
 alieno territorio peregre versantibus imperare desinat, nec
 adeuntibus loca imperii sui hospitibus aut ciuitati, cui ad-
 scripti sint, faciat iniustam vim, pro populi sui libertate et
 potestatis in finibus suis iure de actionibus rebus que eorum
 intra sui territorii limites sitis constituendo. Sic magnae
 istius societatis omnium hominum lex cum iure ciuili, sic
 usus commerciorum cum securitatis publicae rationibus
 componenda. Non quidem conditionis peregrinorum
 affectionis que, qua ad exteram ciuitatem referuntur, in fe-
 rendis legibus immemor erit princeps. Itaque pacis tem-
 pore nihil, quod cum ea antiquiore obligatione conuenire
 non possit, ipsis imponet: exoriente autem cum ciuitate
 eorum bello liberabit datam adeuntibus fidem mature
 que emigrandi et res suas, quarum usus, salua re pu-
 blica, permitti hostibus queat, secum ferendi facultatem
 concedet. Quicquid vero naturae atque humanae so-
 cietatis legibus conuenienter de ipsis eorum que in ter-
 ritorio suo bonis statuerit atque decreuerit, id apud omnes

ratum esse atque sic obseruari oportet, ac si pactionibus iustis hospites atque aduenae in idem hoc consensissent. Quid enim? Nonne ista consensio ipsa transgressione sium atque in regionem legislatoris aduentu declarata est? An nolle possunt, quod consequitur, qui voluerunt, quod antecessit? Vno aduersus hanc rationem exemplo vteris facinorosorum, qui dum delinquunt, profecto in poenam criminis comitem non consentiunt. Sed hos persequitur iusta vindicta, et qui aufugientibus receptaculum praebent, neque pro potestate imperii sui iniuriam alteri populo factam vlciscuntur, vt discant iustitiam moniti, nec diuina naturae et gentium iura contempnere, vi bello que compelli possunt. Qua vero lege damnari debat criminis in alio territorio reus factus, infra expediemus. In negotiis ciuilibus certum est, nisi licito pacto de singulari eorum forma conuenerit, vnum quemque leges loci, vbi ea peragat, respexisse atque in easdem consensisse videri. Saepe igitur domi ex aliena lege dicendum est ius, tanquam ex conuentione partium iure publico non improbata. Sed etiam quid facere licuerit in loco peracti negotii, quid non, animaduerti, obligationes domi natas atque exteri principis, cuius vbi rem fecit, lege impositas comparari et cum hac maxime cautione conferri oportet, ne quid temere in alterius fraudem a bono atque amico Principe permissum credamus. Id si fieri et quas princeps leges a ciuibus suis domi duntaxat, quas e contrario etiam soris atque apud exteros custodiri voluerit, pariter que quid subditis etiam temporariis, quid ciuibus tantum praescriperit is, in cuius territorio commoretur hospes, considerabitur, rariores erunt legum decretorumque contentiones, quae conciliari non possint, vix fere, nisi in clandestinis commerciis, quorum licentiam gentes apud exteros

exterorū sibi nimis indulgent, inter amicos et foederatos populos obuenturae. Cuiuscunque vero alterius ciuitatis legi se res que suas ciuis vel subditus temporarius subiecerit, ex ea princeps haud grauate iudicium reddet, atque alibi etiam ex aliis, quam ex suis legibus contra ciuem suum vel rerum in territorio suo reperiundarum dominum iudicata exequi rogatus decentibus precibus non morabitur, dum nihil in fraudem imperii sui et cum rei publicae damno atque iniuria conuentum decretum que apud exterorū animaduertat. Extra quam causam ut alienis legibus honos sit, non mutua gentium beniuolentia et vario incerto que vsu iudiciorum obtinetur, in quo tanti iuris lublicum fundamentum Huberus ponit, sed legis naturalis necessitate, ratione ad commerciorum peregrinationumque libertatem, in primis vero ad facultatem ciuium, dum ne quid ex publico iure corrumpant, conuentiones quaslibet ineundi, atque ad eorum hodiernam licentiam binarnum adeo plurim ve ciuitatum ciues se se constituendi accommodata, efficitur.

III

Bene hoc intellexerunt Romani, qui odii peregrinorum immerito accusantur. Etsi enim eos antiquissimo verbi vsu hostes appellauerunt, tanta tamen non modo erga socios eorum libertas fuit, vt multis *autovopia* sive ius suis legibus viuendi relinquerent, sed etiam aduersus eosdem, quin erga caeteros quoque aduenas atque hospites e regionibus ab imperio Romano liberis, qui omnes peregrinorum nomine, omne hominum in imperio genus praeter ciues complexo, continebantur, tantum aequitatis studium, vt Praetor etiam peregrinus tum ob multitudinem negotiorum et peregrinorum in vrbe frequentiam,

*Romanorum
in iure ex legibus alienarum
ciuitatum di-
cendo libera-
litas. Obiter
origo erroris
in nomine iu-
ris gentium
notatur.*

cum facilitioris usus alienarum legum caussa, quam qui ab urbano Praetore cotidie in causis ciuium occupato adeo que iuri ciuiili nimis assueto sperari posset, sexto seculo ab urbe condita crearetur. Sane non ex edicto urbani peregrinum Praetorem ius dixisse, hodie constat, atque dubitationem omnem doctissimis disputationibus sustulerunt IOH. HENR. MYLIUS (ap. REITZIUM in *excurs. ad Theophilum*) et FRANCISCVS CAROLVS CONRADVS *Pererg. I. I.* Inprimis vero CONRADVS ostendit, ius peregrinis scriptum non tantum ex iis legum Romanarum capitibus, quae apta essent peregrinis ad eos que transferri possent, deinde ex iure naturali et gentium, verum etiam ex sua cuiusque ciuitatis legibus. Quod ob infinitam diuersarum ciuitatum et legum multitudinem sic intelligi debet, ut cuiusque peregrinae legis, ad quam partes se conformassent, observationem publico edicto promissam existimemus. Atque hoc maxime Romani appellabant iure gentium iudicare, quibus ius gentium totuplici sensu venir, quotuplici ipsum gentium apud bonos et probatos auctores verbum, modo pro familiis siue corpore familiarum eiusdem nominis et stemmatis gentilium, modo pro hominibus, vt Gallorum *gens*, ceu patet ex nomine iuris gentium, quod sana ratio inter omnes homines aequae constituit, et quod partim apud omnes peraeque custoditur, partim usu exigente et humanis necessitatibus introductum est, modo pro populis et ciuitatibus acceptum. Nec vero iis videbatur naturam et rationem sequi, qui in causis peregrinorum ex iure Quiritium ciuili, cuius usum soli ciues habebant, non decidendis, suum sensum atque ingenium sequeretur, sed qui cuiusvis gentis vel ciuitatis legem partibus in negotio contrahendo propositam diligenter consuleret ex ea que sententiam ferret. Quod

si

Et legis singularis obseruatio in contractu perfecto non apparebat, neque ostendebatur, sollicite usus plurimarum gentium hominum que explorabatur, non ignorantibus Romanis, homines fere ad aliorum exemplum sine magna legum naturalium pensatione et cura actiones suas componere. Vnde nata est quorundam recentiorum opinio, apud veteres ius gentium omne in moribus positum, nec necessariam eius rationem intellectam fuisse. Quos sane milie melioris sententiae testimonia in vetustis auctoribus obvia de ea opinione detrahere potuissent. Parum abest, quin mihi H V B E R V S ius gentium, ex quo quaestio nostra decidenda sit, a iure naturae distinctum statuens, vetus iuris gentium apud Romanos nomen, ex quo peregrinis ius dicebatur, in libris iuris civilis et aliis locis classicis non intellexisse videatur.

III

Vnam et solam rationem iuris gentium in caussis peregrinorum obseruandi diximus hanc esse, quod originaire omne imperium omnisque iurisdictione consensu nitatur. §. III. Ante igitur, quam legum faciemus partitionem, quid in unoquoque genere iuris sit, iudicaturi, videamus, utrum euenire possit atque usum gentium interdum eueniat, ut, qui in alieno territorio degit, totus non territorii, sed sui populi vel principis legibus subsit: in quo nemo dubitet vim legum extra territorium cerni. Et generatim dicendum est, quem conditione plenae libertatis ab imperio suo accepta princeps in territorium suum admittat, altera ciuitas in potestate retineat, in hoc civitatis suae ius atque omnium legum domi scriptarum, quibus nec tacite nec expresse solutus fit, auctoritatem valere. Inde est, quod legati hodiernis gentium moribus

*Alienae legis
auctoritas in
legatis aliis.
que personis
liberis a potes-
tate eius, in
cuius territo-
rio sunt.*

ab omni imperio ciuitatis, ad quem missi sunt, eximuntur. Cuius rei consultissimam rationem, populi mittentis utilitatem, agnosco, naturalem et absolutam necessitatem non video. Quo laudabilior et praestantior opera est CAROLI FRIDERICI TREITSCHKE, viri consultissimi nobis que amicissimi, libro doctissimo nuperime palam edito (*Versuch einer Bestimmung und Beantwortung der Frage: Ob die am Kayserlichen Hofe residirenden Reichstaendischen Gesandten der Gerichtsbarkeit des Reichshofraths unterworfen sind?*) legatorum a Proceribus Imperii ad Curiam Imperatoris immunitatem ab Iudicio Imperii Aulico non tantum iure publico naturali, quamvis etiam illo eam defendi et confirmari statuat, sed maxime singulari Imperii lege afferentis. Sane Archimareschallus Imperii antiquo suo priuilegio ipsis ad Caesarem legatis eorum que comitibus per aulae Caesareae Mareschallum ius dicendi renunciauit, nec testimonio legis regiae D. Caroli VII. Francisci I. atque Augustissimi Imperatoris Iosephi II. art. XXV. §. 7. firmari et approbari potest, eam iurisdictionis partem, quam ipsi Principes in suum quisque legatum eius que comites et familiam sibi dudum vindicauerant, ad Consilium Imperii Aulicum esse translatam. Igitur praeter legatos Statuum ad conuentus Imperii publicos, in quibus Serenissimus Archimareschallus antiquam iuris dicendi potestatem per vicarium suum exercet, (quos vero iurisdictione ciuitatis, vbi aguntur comitia, sicut legatos ad atulam Caesaris et quicquid Caesaris, non Archiducis catifa Vindobonae est, ab Archiducis Austriae potestate exemptos, itaque hos etiam alii, quam legi in territorio scriptae parentes videmus) omnes siue a Caesare siue a Statibus vel gentium vel imperii publico iure missi legati, cum Statibus etiam pro libertate sua ius legionum omne plenissimi-

nissime concessum confirmatum que sit, a iurisdictione eius, ad quem missi sunt, plenaria exemptione fruuntur, adeo que non territorii, in quo legationis caussa commorantur, sed principis vel ciuitatis mittentis legibus subsunt. Idem etiam iuris in eo esse, qui conquirendoruū militum caussa in alienum territorium admittatur, ingeniose nuper, vt solet, doctrinamque defendit vir dignitate atque eruditione perillustris IOH. CHRISTIAN. GUILIELM. de STECK.
(Ausführungen politischer und rechtlicher Materien. IX.) Sed vereor, vt nullus princeps militem alterius, milites suo principi conducturum, hac immunitatis atque exemptionis lege sit admissurus: tacite hanc conditionem pacto admissionis inesse, pace tanti viri, nego et pernego. Facilius quemlibet mercatorē emendi caussa territorii fines ingressum a potestate principis ibi regentis immunem pronunciarem: minori sane cum periculo rei publicae. Sed utique est in militibus tempore pacis etiam singulare atque insigne exemplum exemptionis a potestate eius, in cuius territorio sunt. Quodsi enim exercitui alterius vel parti exercitus princeps cum armis transeundi facultatem indulget, non potest nullus eum exercitum omnia que alterius arma in suam potestatem redigere, cum nec populi mittentis ea mens esse potuerit. Itaque in hoc milite omne sui principis ius ne minima quidem parte, quam non demiserit expressa conuentio, imminutum transitus etiam tempore atque infinitibus territorii alieni valebit. Quid enim? Si potentiam et vires aestimes, totus populus transfire videatur, vt non insipide vulgus, ex veteri more, populi verbum pro exercitu in vernacula retinuerit. Quemadmodum igitur ante constituta in territoriis ipsis imperia, qui medios inter exercitus vagi errabant, neminis alterius legi eo facto se subiicere videbantur, sic hodieque de imperio exercitus per

per alterius ciuitatis terras euntis statuendum est, ibi etiam aliena per loca in Principe sui populi duraturo. Sed ad singulos milites per alterius populi territorium meanentes ea ratio non pertinet. Plane inter principes et populos conuenire posse, vt hic vel ille alterius ciuius in territorio alterius ab huius potestate liber atque exemptus sit, non ambiguum est. Sed vtrum cum vxore Principis alienigena cum que ipso Principe alterius populi, permisum iter cum comitibus in alienis regionibus faciente, aut qua ratione cum aliis etiam id tacite conuentum intelligatur, non est huius loci disquirere. Non nullas eiusce modi quaestiones docte tractauit Cel. SCHOTTVS, collega noster, elegantissima disputatione *de vi legum ciuilium in substitutis temporarios.*

V

Vsus regularium Hertii in diversarum legum contentionе cum cautionibus quibusdam. Verum in legatis et caeteris, quos lex conuentionis vni principis sui imperio subiicit, minor dubitatio est, leges non regionis, vbi ex eo pacto morantur, sed populi sui valere; maior in his, qui publicae in territorio potestati sive ad tempus sive perpetua obligatione subesse se profertur: tametsi etiam legati in quibusdam priuatis negotiis contrahendis formam loci, in quo degunt, lege praescriptam utiliter obseruant, atque vbi non legatorum modo, sed aliorum quoque forensium aut adeo ciuium iure frui volunt, vt v. g. mercaturam instituentes, etiam obseruare debent. Caeu enim, legatorum aedes tanquam populi sui territorium consideres. Igitur vt e difficultatis istis felicius nos expediamus, utemur etiam regulis ab HERITIO l. l. constitutis, quae quidem in multis cauiss fallunt, ideo que videntur officium suum omnino perdere, sed ex quibus, si cum cautionibus quibusdam adhibeantur.

bentur, de diuersarum legum usui atque auctoritate in nostri et peregrini iuris conflictu non iniustum iudicium fiet. Id peregrini iuris nomen ne in alienum sensum detrahatur, haud vereor. Nam ex antea dictis satis apparet, non de iure peregrinae originis publice in ciuitatem nostram recepto, sed de lege alterius populi parte iuris nostri non facta et nostris cum legibus contendente hanc disputationem institui. Itaque arbitramur, tres modos, quibus fere homines summae se potestati subiecti sunt, nempe vel ratione personae, vel ratione rerum, vel denique ratione actuum, in hac disceptatione respiciendos, et

- I. in iure personis directe scripto legem illius ciuitatis, cui persona subiecta est;
- II. in iure rerum soli, et quae illis comparantur, legem directo rei impositam, vbi cunque etiam locorum et a quo cunque actus celebretur;
- III. denique in forma actuum et contrahendorum negotiorum legem loci, vbi aliquid factum sit, principaliter consulendam esse existimamus. Fallunt tamen haec omnes regulae I. in priuilegiis iuri nostro publico aduersantibus: II. in retorsionibus iurium iniquorum. III. in conflictu diuersarum interpretationum, quamvis authenticarum, ynius eiusdem qui legis in utroque territorio vim habentis: IIII. in aestimatione criminum et poenarum non conuentione, sed lege definitarum: V. denique in omnibus iis exemplis, in quibus ostendi et confirmari potest, partes in legis propositae obseruationem, quae arbitrio eorum permittebatur, non consensisse, aut antiquioris obligationis caussa consentire non potuisse. Quae ratio latius patet, quam vulgo creditur. Nam

si ab eo principe, cuius interest, suam legem seruari, is, qui se illi obstringere reuerentia legis maioris atque antiquioris nec debuerat, nec potuerat, ad id, quod ex ea debetur, praestandum nihilo minus cogitur, hoc aut vi fit atque iniuria, aut poenae nomine ob fidem promissione illicita violatam. Quo posteriori casu potest etiam alter princeps eundem hominem maioris poenae apud se reum vel bonis vel ciuitate multare, vel atrociores etiam poenas in eum forte receptum expedire. Fac legem esse in territorio scriptam, vt, qui militiae nomen det, auocatoriis patriae suae epistolis postea non sequatur: illuc tamen militatum abiisse alterius rei publicae ciuem, sed vix relatum in numeros, exerto subito bello, a principe suae patriae, vbi ius ciuitatis retinuerat, auocari. Quis dubiter, et redditum iri prohibitum, et iustas in patria poenas non redeuntem esse mansuras. Postremo ne quid cautionis desideretur, etiam hoc addam: VI. quicquid in legum nostrarum fraudem a ciuibus nostris apud exterios factum sit, aut VII. cum ciuitum populi que nostri iniuria et in rei publicae nostrae detrimentum ab alterius ciuitatis magistratu vel principe statutum decretum que sit, id ratum in iudiciis nostris non haberi, sed ciuium fraudes legibus factas coerceri promeritis poenis; illatam ipsis populo que nostro iniuriam, vt meminimus supra dicere, pro inferentium diuersitate, vel gentium iure, vel eo modo, quem leges imperii publicae monstrant, vindicari.

VI

Exempla in diversis publicarum cassarum iuribus obvia. Illustrabimus rem exemplis promiscue ex omni iure petitis. Itaque vt a legibus publicarum cassarum initium fiat, si quis ex nostris consobrinam in matrimonium duxerit, nostro quidem iure veritum, sed in sponsae patria

tria ideoque in loco sponsalium nuptiarum que publice licitum, aut etiam a principe territorii illius priuilegio impertito permisum, non dubito, quin nouus maritus a suo principe plecti atque illud matrimonium pro nullo haberit possit. Nouerat enim legem sibi de consobrina in matrimonium non ducenda propositam, et, cum cuius esse non desisset, in iuris patrii fraudem non poterat alterius ciuitatis morem induere aut exteri principis priuilegio sponsae magis, quam sibi dato abuti. Mulierem nulli poenae obnoxiam esse consentio, ut puta nuptiarum tempore legibus nouae patriae, quam matrimonii caussa elegerat, nondum obligatam. Nec tamen de iniuria iudicii conquereatur, quae conditionis sponsi nimis incuriosa spe putati matrimonii excidit, cum viro eius facultatem non consecuto sine iure contracti, a quo restitutio rerum coniugii caussa datarum atque omnis damni dolo malo facti aestimatio exigi potest. Quodsi : vterque coniux legibus nostris ante nuptias se omnino submiserit, atque in earum fraudem peregre contraxerit matrimonium, vterque eadem legis poena tenebitur. Noui, in proposita specie facilem veniam dari, et matrimonium initio nullum clementia principis ratum haberi. Non vero, quid benignitate principum fiat, sed quid pro legum severitate fieri possit, quaero. At quid in eo statuetur, qui duplex domicilium habeat, in quorum altero licitae sint eae nuptiae, in altero non sint? Hunc quoque cum virtiusque loci legibus praestare obsequium debeat, in altero facti sui poenas daturum, nec iure iusti matrimonii ante imprestatam principis gratiam fruitur existimo. Si qui eo tempore, quo matrimonia apud Batauos absque sacerdotis ministerio inibantur, e patria nostra ciues Amstelodamum abiissent, in fraudem nostrae legis coniugium inituri, equidem

fuisse eos id impinge laturos futuros que iudiciorum nostrorum auctoritate iuris conubialis ante *iepoloylau* subsecutam omnino participes habent arbitror. In qua sententia leges contra nimiam matrimoniorum a ciue cum ciue extra patriae initiorum licentiam scriptae me confirmarunt. Ecquis vero matrimoniorum a subditis temporariis in vera sua patria secundum eius leges contractorum famam fugillet. Nempe illi hac tenus tantum parent, ut nihil illiciti negotii in loco suae commemorationis apud nos faciant, et quod subditis temporariis pro tutela venia que rei facienda imponitur, praestent: non vero se sua que omnia nostris legibus subiecerunt. Noui etiam cities vxorem patriae, unde adueniunt, legibus ductam iure retinent, nisi religio nostra eas nuprias etiam in aduenis damnet. Pariter cum lex est, vt in fundi dominio non succedat, nisi legitimus, si extraneus fundum possideat, quis filius sit legitimus, non ex nostro; neque enim praediis et solo iura nuptiarum scribuntur; sed ex lege ciuitatis, vbi pater domicilium habuit, iudicari oportet. In Francogallis aulico Germanorum principum ministerio admouendis maternae originis nobilitas non requiritur: neque enim domea spectatur. At si nobilis Germanus ex Francogallica plebe mulierem ducat, liberi in Germania sentient omne damnum imparitatis. Quicquid tandem ex priuilegio venit, fines territorii eius, qui dedit, non egreditur, nisi mutuae humanitatis precaria ratione et comi obseruantia meritorum, nec vñquam maiorem in aliis terris vim habet, quam quae iuri publico non opponitur. Nobilis in Polonia non ideo apud nos Germaniae nobilitatis iure censetur, et quem Princeps Germaniae vi territorialis potestatis, non Imperatoris atque Imperii nomine, quo ipsi forte hoc liceat, nobilem facit, is in caeteris Imperii regionibus

bus veteri loco erit. Quomodo enim alter Princeps ferat, ordinem hominum in re publica, vel Caesaris codicilis cum damno iuris quaesiti non minuendum, aliena alterius ciuitatis lege turbari? Quod si, qui vicino Principi auitam suam nobilitatem probauit, illius iudicio decretum obtinuit, ne hoc quidem nostrae rei publicae iuri magis nocebit, quam res inter alios iudicata aliis proderit. Liquet ex his, quae ratio iuris publici et imperii et regionis habetur, in vi legum ac decretorum extra ditionem fermentis aestimanda, et quibus opus sit cautionibus, ne iuri vel Imperii vel prouinciae fraus fiat. Qua de cauſa etiam Principes ab iniustis aliarum prouinciarum legibus decretis que se atque ciues et socios suos recte defendunt, ut cum manu magis, quam iure transeunti ad alia sacra, sed publice in Imperio nostro probata contra pacis Vespasianae sanctionum legitimae hereditates eripiuntur, aut ultima parentum voluntas portionem liberis lege debitam odio alienae religionis, nec iusta et vera exheredandi cauſa adscripta fraudulentium non melioribus iudicium consiliis sustinetur. Sed harum rerum exempla, in quo numero tamen testamenta parentum familiarum que, ut Tucherorum in Noricis, pacta, ex quibus legitima salua est, non ponimus, sunt inuidiosa.

VII

Vertamus orationem ad delicta et poenas, de quibus magnae et frequentes controuersiae enascuntur ob legum in variis locis, vbi crimen inchoatum vel continuatum perpetratum que, vel vbi deprehensus sit reus atque vbi de eo iudicium habeatur, diuersitatem: opinantibus nonnullis poenam ex lege loci, qua quisque in ipso momento criminis sive ex consensu suo, sive pro statuentium iure reus fiat, indistincte sumi debere; aliis ad iudicij locum

*Diversarum
legum de de-
lictis et poe-
nis contentio.*

responentibus, in quo Princeps suum, non alienae legis arbitrium sequatur; quibusdam in conflicitu legum prouincialium iuris Germanici communis auctoritatem illis omnibus in hoc publico iudicio potiorem habentibus; caeteris occasionem rapientibus benignius responsum praebendi, quem ad modum in tali legum contentione Ordo noster pronunciat, mitissimam semper e diversis statuendo poenam. Caussam dixit illustris HOMMEL *Rhapsod.* obs. 281. et mihi quidem valde placere hanc Ordinis opinionem profiteor, primum, quod animum induxi meum, plus mitigioribus poenis, quam atrocibus suppliciis effici, atque inter leges de criminibus scriptas non nullas iusto duriores esse, deinde quod ista sententia solidiori nititur fundamento, quam vulgo putatur. Aduersi riorum rationes opportuniori loco retundam. Nunc dicam breuiter, quod de rei consensu in poenam affertur, in poenis conuentis adeo que in priuato, non in publico iudicio verum esse, ex ea que conuentione, nisi illa in fraudem sui iuris vergere videatur, exteris nunquam non actionem daturos. At si reus siue domi siue alibi deprehenditur, neque ad locum delicti aut ad domicilii iudicem remittitur, de cuius remissionis arbitrio iam non est animus constitui, laesio est, satisfactionem et poenam poscere, iudicantis, de postulati iustitia et magnitudine criminis arbitrari: neque enim liberae gentes stant altera alterius iudicio. Itaque princeps, qui iudicio praefect, mitiorem poenam, quam quae in loco commissi delicti statuta sit, sua lege minatus hac animi sui sententia non discedet: nec tamen supplicium grauius atque atrocius ex suaem legis obseruantia sumet, cum minor poena possit a populo laeso. Quiae iuris gentium regula etiam in eo casu non fallit, si, qui deliquerat, deprehensus in tertio loco inde ausfugerit, et a iudice domicilii reperrus neque ad locum delicti, neque ad priorem iudicem remitt-

ta.

tatur. Nam tum quoque nulla laeso iniuria fit non minorem statuendo poenam, quam reus in loco primae deprehensionis luiturus fuisset. Quid vero? si laesa gens in hoc nostro iudicio non acquiescat? Si facinorosum, civem in primis suum, ut domestica lege puniri possit, reposcat? Evidem aut maioris poenae dictandae, aut, ut ea domi fugienti alterius cui dictari possit, remittendi rei necessitatem naturali gentium iure constitutam esse non arbitror. Licet enim etiam eos, qui deliquerunt, contra maiorem saeculam, quam opinione nostra pomeritam, patrocinio suo tutela que defendere. Sed gens laesa iudicans sibi iniuriam fieri iure belli vtetur. Inter Germaniae Principes vtique Imperatoris futura esset cognitio. Quem forte in hac legum diuersitate, neque hanc neque alterius, sed Caesarei, id est, iuris communis poenam ad satis faciendum necessariam reputaturum esse ii coniiciunt, qui in hac criminalium legum in diuersis locis varietate semper poenam iuris communis dictandam esse constituant. Vnum addam, si de sensu iuris communis controversia enascatur, ut in lege de furtis, de homicidiis, atque in multis aliis capitibus, et aliam in loco delicti commissi, aliam in loco iudicii, non homines priuati, quorum opiniones nihil efficiunt, sed legislatores et usus interpretationem probauerint, pariter benigniorem sententiam fecus, quam in ciuili iudicio, iisdem de rationibus praefendam videri.

VIII.

Longe frequentiores sunt legum priuatarum contentiones. Igitur quid in testamentis et hereditatibus, in contradicibus et negotiis viuorum, denique in ipsis priuatarum caussarum actionibus et iudiciis ius alterius cuiusvis valere possit ac debeat, et quam sollicite considerari oporteat, utrum personae an rei directe scripta sit, aut

Priuatarum
caussarum
alieno lege in-
dicandarum
exempla. For-
ma testamen-
torum.

ma-

maxime negotio atque actui formam imposuerit et quasi impresserit lex, illustrioribus quibusdam exemplis demonstrare allaborabimus. Nulla fere intricior et celebrior disputatio, quam quae de forma et solennitatibus testamenti, neque in testatoris domicilio, neque in loco, in quo sita sunt bona, conditi instituitur. Evidem vtrum testator de quibus que bonis testari, quem heredem, quos legatarios nominare potuerit, ex legibus decretis que partim in personam, partim in res eius scriptis iudicandum existimo; caeterum externas testamenti solennitates, si eas omnes adhibuerit, quas lex patriae aut locorum, in quibus praedia sita sunt, obseruari praecipiat, bonum factum esse. Legato in primis arbitror, scrupulosam patrii iuris obseruantiam optime conuenturam. Si quis tamen omnibus iis negleget eam formam seruet eum que modum, quem lex loci, in quo testatur, constituerit, aut utentium ibi mos introduxit, hodierno quidem iure testamentum non iniustum videtur. Hanc sententiam pragmatici tenent atque usus firmat. Sed ea, quod magis est, idoneis etiam rationibus defendi potest. Quae ex Romanis legibus repetuntur, nihil ad rem faciunt. Nihil certius est, quam Quiritium iure contrariam opinionem praeualuisse. Nempe testamentum apud Romanos erat lex populi testatore rogante condita. Hodie testamenta aliis moribus aestimantur, vt quae, si hoc verbo abuti licet, nunc fere facta sunt iuris gentium, id est, apud cultiores populos tantum non omnes publice introducta et approbata. Itaque veritatem magis ultimae voluntatis spectamus, quam solennitatem. Hanc solennitatis obseruationem una sola de causa exigimus, vt nempe vera et seria testatoris voluntas exinde intelligatur, non etiam, ceu olim Romani, ad antiqui moris imaginem exprimendam.

VIII

In successione autem ab intestato lex loci, vbi de- *Vbi alienae legi in iure hereditario pro rerum diversitate.*
 sanctus domicilium habuit, ea tenuis praeualet, vt ex ea succedatur in omnia bona mobilia, quae ex conditione personae legem accipiunt et ibi esse dicuntur, vbi quis domicilium et rerum suarum summam collocauit. Haec vulgaris rerum mobilium existimatio non tantum omnium iure consultorum veterum ac recentiorum consensu, sed validissimis etiam rationibus tum ex iure ciuili, cum ex ipsa eorum bonorum natura petitis firmata. vid. in primis **BVRGVNDVS** l. l. p. 21. 10H. A SANDE *Dec. Fris.* lib. III. tit. 8. def. 7. **COLERVS** de processu execut. p. 2. c. 3. n. 30. **CARPZOV.** *decis. illustr. I.* n. 3. et *def. foren.* P. I. *conf. 28. def. 9. P. II. conf. 14. def. 3. et 54. nec non conf. 23. def. 10. et 13. et P. III. conf. 38. def. 16. **HERTIUS** l. l. *scit. IIII. §. 6.* quo loco etiam plures laudauit. Si quis domicilium non habeat, res mobiles eius personam comitantur; si duo vel plura domicilia, rationis est, credere bona mobilia esse in eo, vbi reperiuntur. Nam vt etiam in res mobiles actionem in foro rei sitae institui posset, vsus tandem (dubito ob l. 2. C. *vbi in rem agi* auctoritatem, apud Romanos?) introduxit. **V. BERGER** quando *Resolut. leg. obſt.* p. 122. Vtique vero, quae domini destinatione et perpetui usus gratia in aliquo praedio habentur, cum quasi praedii partem faciant, eius que naturam induisse videantur, immobilium iure censemur. Res incorporales, quanquam proprie neque mobiles, neque immobiles, praeter eas, quae soli partes sunt, et de quibus diligenter **MENCKENIVS** egit *Syst. Iur. Civil. sec. Ord. Pand.* lib. I. tit. IX. §. 12. vera et communis interpretatio genere bonorum mobilium comprehendit. Breuiter et bene **BVRGVNDVS** l. l. p. 22. *nomina et actiones loco non circumscribuntur, quia sunt**

D

sunt incorporales. In haec igitur omnia bona, nisi quid singulare conuenierit, ex domicili lege, cui paruit defunctus, succeditur. At in rebus soli videndum est, an legem iis scripsit dominus territorii, qua ad alium illae heredem successorem que perueniant. Qua ratione ciuis Saxonius, qui Dresdae positas lares atque in Franconia praedium habet, successorem in praedio ex lege Franconica, caeterorum bonorum heredem ex nostra vel etiam ex verbis statuto relinquit. Quod si Dresdae petitur hereditas, nonne tenebitur iudex Franconici territorii legem ratione praedii obseruare? Beneficiorum non memini. Nam beneficiariae leges praeter eas, quae clientibus subditis a principe suo feruntur, aut quibus etiam dominorum libertas de praediis in alterius territorio fitis disponendi circumscribitur, sunt nudae conuentiones, e quibus tamen ius vel ipse dominus dicit, et, dummodo hic dominii iuris dictio[n]is que clientelaris limites non egredens sit, Princeps, penes quem territorii eius potestas est, iudicata a Paribus haud grauate exequitur.

X

*Qua lege ius
contractuum
et praesciptio-
num regatur?* Ius etiam in loco contractus de contrahendi negotii forma statutum Princeps alterius ciuitatis in iudicando resipicit, et ex contractu eius loci lege perfecto actionem dabit, nisi alteruter contrahentium aut vterque in id, quod ipsi veritum erat, consenserit, aut dies actionis exierit. Quam vero legem praescriptionis sequetur princeps in altero territorio iudicans? Suam, an loci, vbi contractus est initus? Vtique suam. Etenim actioni praescribitur, quod ex legibus iudicariis est. His autem quisque in eo iudicio, in quo litigat, se submittit. Quod si tamen ad nos migrauerit, veteri sede relicta, qui

qui in foro prioris domicilii praescribere actioni nondum potuisset, intra quadriennium sane petitio illa restituetur. Non iuuat plura ex iis exemplis commemorare, quae magno numero collegit H E R T I V S, neque etiam multitudinem eorum relatis omnibus iis, quae nobis in ipso rerum vsu frequentissime obuenerunt, augere. Finiam disputationem in ea controuersia, cuius nuper actum iudicium de toto genere sollicitum reddidit, in qua omnium regularum cautionumque propositarum necessitas apparebit.

XI

Vir nobilis in ditione his terris proxima tantam *Species singu-*
laris: cesso-
nominis in
alieno terri-
torio inter-
dicta.

vim aeris alieni conflauerat, ut vrgentibus tandem creditoribus curia regiminis, cui parere debebat, et cuius sub potestate lares posuerat, omnem ipsi bonorum suorum alienationem ex lege Principis interdiceret. Ecce vero! adeit qui litteras cambiales proferat, et medios inter tractatus concedendae remissionis vel publica auctoritate cum se et obaerati creditoribus institutos, nisi ipsi satis fiat, malam mansionem minetur. Quid ille? Cesso sui debitoris nomine, quod bonum esse importunus creditor nouerat, illa difficultate se expedit. Mox vero ab aliis non liberatus et multitudine creditorum, quibus soluere non potest, obrutus bonis suis omnibus cedit. Fit creditorum publica conuocatio: curator bonis datur. Hic nomina in Electorali Saxonia exacturus quibus pars aeris alieni expungi possit, cessionem eorum communis debitore factam comperit, vigilanti etiam cessionario breui solutum esse. Excitatus ab iratis creditoribus in factum actionem contra hunc cessionarium mouet. Contendit in suprema Curia Lipsiensi, vbi eum conuenerat, nullum atque irritum esse omne

cessionis negotium, cum illi, qui cessisset, iam eo tempore bonorum suorum alienatio interdicta fuisset. Laudat legem iudicariam nostram repetitae praelectionis ad tit. Ll. cum qua lex Principis interdicentis P. I. cap. 38. §. 4. ad verbum consentiat. Decisionem XXV. nobis anno 1748. publicatam allegat. Ostendit, l. 6. §. 7. D. quae in fraudem creditorum adeo que etiam iuris communis auctoritate, qui post bona possessa debitum sibi receperit, hunc in portionem vocandum exaequandum que caeteris creditoribus: neque enim debuisse praetipere post bona possessa, cum iam pars conditio omnium creditorum facta esset: possessa autem bona videri iam tum, cum debitori eorum alienatio ob aeris alieni magnitudinem interdicta sit. BERGER. *Elett. Discept. for. Suppl. P. II. p. 842.* GRIEBNER. *Discours über die Chursächsische Processordnung ad Tit. Ll.* Quod ab aduersario opponatur, cesso debitori solutionem non esse vetitam, id quidem, ut cessus solutione cessionario facta liberatus sit, non vero, ne accepta pecunia a cessionario reposci possit, efficere. Tota non facti, sed iuris contiouersia in eo erat, quam vim alterius ciuitatis lex atque exteri Principis debitori cedenti omnem bonorum suorum alienationem interdicentis decretum in Serenissimi Electoris territorio haberet. Videndum igitur erat ac cognoscendum, cessus debitor an principi interdicenti omnino subsuisset? quae bona post interdictum alienata essent, utrum in obaerati domicilio extitissent atque ex personae conditione legem accepissent? num fraus iuri nostro publico facta ostendi posset? an lex in Saxonie-electoralis lata petitioni actoris obsisteret? Enimuero obaerato, qui cesserat, alienatio bonorum a Principe suo fuerat vetita: cessum debitoris, quanquam hic non minus, ac cessionarius Electoralis Saxoniae ciuis erat, atque in territorio

ritorio Electoris nostri lares habebat, nomen iuris tamen intellectu in obaerati creditoris domicilio extiterat, adeoque lex huic de bonis suis in vniuersum scripta ad actionem cessam vel venditam procul omni dubio pertinebat: denique nihil in fraudem iuris factum erat, quin nostra lex iudicaria ad tit. LI. cum illa peregrina amicissime conspirabat. Quae omnia cum reperirentur, in suprema Curia Lipsensi lis iudicata est secundum actorem, et cessionarius ad pecuniam, quam ab obaerati debitore cesso acceperat, vniuersati creditorum reddendam damnatus. Nam et ratio legis Politicae anno 1577. toti imperio scriptae tit. 22. §. 4. qua principes obaeratorum in territoria sua fugientium bona ab iis requirere et *vniuerstatii creditorum* seruare ac custodire iubentur, et argumentum a prodigo, cui suus Princeps bonis interdixerit, in hac caussa valere videantur. Nec tamen diffiteri licet, contrariam placuisse sententiam, illustri Prouocationum Senatui m. Aprili 1773.

TRIEVX

temporis amissione, sed etiam conditione circoscribitur
etiam quod non est omnibus tristis concursum ut possit
be cuncti dolorum ne tam unius et proprietas non
est videlicet in eo quod est dolor. Namque et malorum pessimum
dolor non est nisi est inveniatur in iusta proportione: sed cum
malorum dolorum est inveniatur in iusta proportione non est dolor. Namque et
dolor est inveniatur non nisi est in iusta proportione: sed cum
dolor est inveniatur non est dolor. Namque et dolor est in iusta
proportione non est dolor. Namque et dolor est in iusta proportione non est dolor.

00 A 6448

ULB Halle
002 928 140

3



B.I.G.

27

Farbkarte #13



DE VI
LEGVM ET DECRETORVM
IN TERRITORIO ALIENO

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAЕ ASSESSORE ATQVE ANTECESSORE

A. D. XXII. MAIi A. N. CCCCCLXXVII

H. L. Q. C

DISPV TABIT

CAROLVS GODOFREDVS VVOLF

LIPSIENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA